

IOANNES SCHEVBElius GEOMETER TVBINGENSIS.



Ioannes natus est in oppido Kircheim apud Sueuos anno 1494. Is cum literarum rudimenta in patria didicisset, se se ad celebrem Viennensem academiam contulit, atq; ibidem liberalibus artibus operam impendit. Cum autem eo tempore Mathematicæ disciplinæ in illo gymnasio uigeret, Ioannes studium illud amplexus omnem difficultatem superauit, atq; in primis Arithmeticæ & Geometriæ exactam notitiam sibi comparauit. Postea Lypsiam peruenit, atq; quæ adhuc deerant sua diligentia acquisiuit. Tandem Tubingam profectus omnibus ob uitæ integratatem & eruditioinem innotuit. Itaq; liberalium artium Magister constitutus, & in professorum numerum cooptatus fuit. In ea Academia Ioannes Euclidem exposuit, atq; numerandi rationem absolute tradidit. Scripsit etiam compendium Arithmeticæ Basileæ 1549 excusum. deinde Euclidis sex libros priores de Geometricis principijs, unà cum demonstrationibus propositiōnum, absq; literarum notis mirum in modum elaborauit. Regulas quoq; Algebrae doctis prius abditas in lucem reuocauit, atq; uaria instrumenta sua industria confecit, usus potissimum ea in re ipsis Fuggeris Mœcenatibus. Hinc factum ut Scheubelius quod eas artes attinet, omnibus innotuerit, & sibi magnum nomen compararit. De eo Eberhardus Cellius Epigramma compo-
suit, & ad me Basileam transmisit.